

V.

SYLLOGE INSCRIPTIONVM BASILICAE PETRI APOSTOLI IN VATICANO CONFECTA SAECVLO VII
E CODICE VAT. PAL. 591 SAECVLI XV.

1. DESCRIPTIO CODICIS VAT. PAL. 591. Codex Vat. Pal. 591, forma 4 minori, e libro multo antiquiore pessime descriptus est saeculo XV. Eo continentur f. 1: "Regulae ecclesasticae sanctorum apostolorum etc.,"; f. 4 Canones conciliorum: f. 55 s. Ambrosii "Cura pastoralis,"; f. 62 s. Augustini "De pastoribus,"; f. 81 eiusdem "De ovibus,"; f. 100 Sedulii "De rectoribus Christianis et convenientibus regulis quibus est respublica rite gubernanda,"¹: f. 131 "Carmina de virtutibus et vitiis,"²: demum f. 137-139 "Versus in basilica s. Petri apostoli,". Ipsa totius codicis varia materies indicat eam multo ante saeculum XV esse collectam et e veterum coenobiorum, aevi facile Carolini, libris descriptam. Libellus certe epigrammatum et titulorum basilicae s. Petri a syllogis epigraphicis saeculi XV longó distat temporis intervallo.

2. SYLLOGE INSCRIPTIONVM BASILICAE VATICANAE. Haec sylloge duodecim titulos et carmina complectitur; quorum octo saeculum septimum aetate superant, quattuor eo saeculo posita sunt: nempe Gregorii epitaphium a. 604, Honorii I epigrammata scripta anno fere 628, Agathonis epitaphium a. 682. Epigrammata Honorii (2, 3) perierunt direptis valvis argenteis basilicae Vaticanae a. 845: titulus Mariniani (consulis a. 423) et Anastasiae hoc uno codice notus (n. 10) ad musivum opus pertinuit, quod saeculo septimo exeunte dirutum ex parte erat; saeculo certe decimo tertio eius tituli vestigia nulla supererant: titulum quoque Viventii Galli praefecti urbis (n. 7) nulla praeterea vetus sylloge servavit: pleraque huius libelli epigrammata post saeculum fere IX nemo descripsit. Topographica titulorum distributio accuratissima, quam hic codex servat, in ceteris antiquioribus syllogis turbata est vel prorsus neglecta: ea perpetuo commentario a me declarabitur. Haec Vaticanae basilicae inscriptionum collectio, sive integra est sive ex ampliore volumine decerpta, ad primaevam libri formam videtur propius accedere, quam reliqui similis argumenti veteres codices, quotquot ad hanc diem innotuerunt. Quare cum horum primus fons et origo saeculum plerumque septimum attingant, libellus hic prototypam fere

servans formam, quique titulum nullum contineat recentiorum a. 682, eidem saeculo iudico adtribuendum.

3. BASILICAE VATICANAE DESCRIPTIONES ANTIQVISSIMAE. Huius syllogae auctor incipit ab extrema porticu, quae dicebatur *pontificum*, quod eo loco pontifices humari post Leonem Magnum solemne fuit; tum portam regiam et dextra laevaque aditus atrii et quadriporticus contemplatur: aulam ingressus statim pergit ad sepulcrum Petri apostoli sub arcu maiore, inde ad absidem; reversus gradum sistit ante pulpitum; aula et porticu egressus basilicae frontem eiusque musivas imagines et epigrammata et titulos describit. Libellum huic simillimum plures veteres codices servant, continentem epigrammata celeberrimae Turonensis basilicae s. Martini: de quo dicam hoc capite n. XVII. In eo post carmina inscripta cellis; in quibus vir sanctus habitavit, exhibentur epigrammata et tituli portarum, arcus, sepulcri, absidis: tota inscriptionum series clauditur brevi descriptione basilicae, quot pedes longa, lata, alta, quot columnis fulta, quot fenestris, ostiis esset instructa. Eadem descriptio legitur in Gregorii Turonensis historiis Francorum II, 16. Pariter libello inscriptionum basilicae Vaticanae aliquam huius descriptionem adnexam olim fuisse, quae in Palatino codice omissa sit, manifesto indicio demonstrat codex Paris. Lat. 8071, quem proferam capite tertio inter anthologias variis consutas fragmentis veterum syllogarum. In eo post inscriptionem frontis basilicae, in codice Palatino (n. 11) cum omnium ultima 12 coniunctam, legitur: "*Aecclesia scti petri habet in longitudinē pedes CCCXC in latitudinē vero pedes CCXXVI excepto illo throno*,". Sequuntur epigrammata huius syllogae 6, 5, quae ad atrii latera pertinent; praeterea duo item in atrio posita, neque aliunde nota. Alia Vaticanae basilicae carmina, sive ex eodem sive ex alio fonte, ille saeculi IX cento servavit. Quae fragmenta sunt unius vel plurium libellorum eiusdem generis atque liber ille, quem profero e codice Palatino 591. Hic e vetere exemplari pessime descriptus est saeculo XV: titulos cum praefixis lemmatibus amanuensis permiscuit (vid. n. 7, 10); lacunam ante inscriptionem 7 subesse non sine causa suspicor. Quare epigrammata basilicae Vaticanae, quae anthologia Parisina valde lacera et perturbata exhibet, excerpta sunt e pleniore apographo eiusdem vel similis libelli, cuius in Palatino codice pars satis ordinata videtur superesse. Fragmenta centonis Parisini, quae ad basilicam

¹ Edidit Mai, Spicil. Rom. VIII p. 1-69: cf. Arevalum ad Sedulii carmina p. 38.

² Sunt Bonifatii Germanorum apostoli; ea ex hoc ipso codice edidit Bock in *Freiburger Diöcesan Archiv* III p. 221-267: cf. Duemmler, Poet. Lat. med. aevi I p. 2 et seqq.

Vaticanam pertinent, carmina exhibent non mediocri pretii ad hanc diem ignota. Quae libello codicis Palatini 591 esse subiungenda argumenti certe similitudo, ipsa fortasse communis origo monent. Gregorius Turonensis in libro I De gloria martyrum cap. 28. Vaticanae basilicae, quam ipse nondum viderat, columnas dinumeravit earumque ordines descripsit: "Sepultus est (s. Petrus) in templo, quod vocatur antiquitus Vaticanum, quatuor ordines columnarum valde admirabilium numero nonaginta sex habens: habet enim quatuor in altari, quae sunt simul centum, praeter illas quae ciborium sepulcri sustentant". Haec Gregorium didicisse ab Agiulfo diacono, qui anno 589/590 Romam venit, Ludovicus Duchesne acute, ut solet, coniecit¹. Verisimile est ipsum columnas haud dinumerasse, sed e libello, in quo descripta et demensa basilica erat, haec Gregorio retulisse. Sic locorum sanctorum Palaestinae, templi s. Sophiae Constantinopoli, aliarumque aedium sacrarum magnificentia et celebritate insignium descriptiones et mensurae singularibus libellis antiquitus vulgatae sunt: ne quid dicam de aedificiis, quorum formas et ornamenta veteres patres et scriptores occasione oblata memoriae mandarunt.

4. SYLLOGAE INSCRIPTIONVM BASILICAE VATICANAE CVM SYLLOGIS TOPOGRAPHICIS SVBVRBANIS NEXVS ET COMMVNIS ORIGO. Mentionem supra (p. 36) feci codicis inscripti: *Epitaphia in basilica sancti Petri seu versus*, qui in unum et alterum indicem bibliothecae Laurehamensis saeculo IX relatus perit. Libellus codicis Palatini 591 similiter inscribitur: *Incipiunt versus in basilica sancti Petri apostoli*: quare Laurehamensem deperditum a Palatino minime diversum fuisse videtur probabile. Idem fere initium legitur in capite syllogae Centulensis (VII): *Incipiunt versiculi in basilica sancti Petri*: sequuntur carmina, quae in Palatino codice sunt 3, 4, et post alia 11, 12, utroque loco ex eodem fonte; nam utriusque syllogae communia scripturae vitiaprehenduntur. Tum inscriptionum cento fere totus e mo-

numentis suburbanis compilatus per 24 folia continuatur. *Versus igitur in basilica s. Petri* (id est libellus inscriptionum et descriptionis basilicae Vaticanae) initium fuerunt syllogae amplissimae epigraphicae et topographicae; vel carmina ex eo libello singulari excerpta cum huius generis syllogis consuta sunt et inde earum initium inceptum.

5. CODEX PALAT. 591 NVNC PRIMVM PRODIT. Hoc codice ante Angelum Maium nemo usus est: ne ipse quidem Caietanus Marinius inde quidquam cepit. Maius more suo tres tantum ineditos titulos protulit ex arbitrio neque monito lectore reflectos (Spicil. Roman. VIII p. 70): de totius libelli materia et indole tacuit. Quae nunc mea editione innotescunt. Litteris inclinatis lemmata expressi, quae in codice sunt rubrica picta.

6. APPENDIX INSCRIPTIONVM BASILICAE VATICANAE E CODICE PARISI. 8071. Codex Parisinus 8071, de quo supra § 3, scriptus saeculo X vel XI anthologiam carminum complectitur varii argumenti. Eius extrema folia 60, 61 centonem exhibent epigrammatum e laceris et exsectis exemplaribus compositum, adeo confusum, ut mirum haud sit inde neminem ad hanc diem potuisse proficere. Nunc fontes, unde petita illa sunt, hac codicum recensione partim agnoscuntur; qui delitescunt, similium librorum argumento, cuiusmodi fuerint, intelligitur. Quare antequam de tota illa anthologia dicam, inde hoc loco propono quidquid e pleniore exemplari syllogae, quam unus codex Palat. 591 servavit, vel e simili libello videtur pendere. Duodecim sunt epigrammata eorumque fragmenta, quibus insertae sunt notae mensurarum Vaticanae basilicae: horum carminum quatuor habet codex quoque Palatinus; octo Parisino centoni propria sunt. In quo locorum indicationes nullae: carmina, quae praecedunt epigrammata basilicae Vaticanae, descripta sunt e codicibus epistolarum Pauli apostoli et commentariorum Hieronymi in Isaia. Deinde inscripta littera maioris moduli incipit series epigrammatum e monumentis urbis Romae: quorum prima tantum et ultima ad basilicam Vaticanam pertinent. Uter apographo, quod a me rogatus L. Delisle praeses bibliothecae Parisinae fecit accuratissime.

¹ Mélanges d'arch. et d'hist. de l'école Fr. de Rome 1882 p. 277 et seqq.

V.

INSCRIPTIONES BASILICAE VATICANAE

E CODICE PAL. VAT. 591

1. *Incipiunt versus in basilica s̄ti petri ap̄li* f. 137*Super sepulchrum sancti gregōrij*

Suscipe t'ra tuo corpus de corpore sūptū
 Reddere qd̄ valeas vivificante deo.

Sps̄ astra petit leti nil iura nocebant

Cui vite alterius mors magis ipsa via e'

5 Pontifici sūmi hoc cludunt̄ mēbra sepulchro
 qui inūmeris semp̄ vivit ubiq̄ bonis.

Esurie' dāpib? sup̄avit frigora veste
 atq̄ animas monitis textit ab hoste sacris.

Implebatq̄ actu quicqd̄ sermōe docebat

10 eēt ut exemplū mistica verba loquens

Ad Xpm̄ angelos convertit pietate magistra
 atquirens fidei agmina gente nova.

hic labor hoc studiū hec tibi cura hoc pastor agebas
 ut dño offeras plurima lucra gregis

15 hisq̄ dei consul factis letare triūphis
 nam mercedē operū iā sine fine tenes

hic requiescit gregorius papa qui sedit
 annos xiiij. menses sex. & dies x.

depositus. iiij. idus martias.

2. *Item Agatone papate*

Pontificalis apex virtutū pondere fultus
 ut iubar irradiat psonat ut tonitruus.

Que hoc pagit doctrine fomes & auctor
 format enim gestis quos docet eloquiis

5 dum simul equyperat virt? & culmē honoris
 Officiū decorat morib? arte gerit preditus

1. Huius epitaphii minuta marmorea frustula duo nostra aetate reperta sunt in cryptis Vaticanis (v. Sarti et Settele, App. ad crypt. Vat. monum. p. 80 et 125 tab. XXIX). Gregorius Magnus decessit a. 604: epitaphium eius, licet quatuor annis saeculi sexti finem excedat, in corpore inscriptionum a me recipietur: de eo suo loco plene dicam.

Gregorii sepulcrum, antequam a successore eiusdem nominis quarto (a. 827-44) *ad novellum secretarium* transferretur (v. Cancellieri, De secret. basil. Vat. p. 677 et seqq.), fuit *in extrema porticu basilicae s. Petri apostoli ante secretarium* (Joan. diac. Vita s. Gregorii ed. Maurin.; Opp. s. Greg. tomo IV p. 168: cf. Lib. pontif. in vita Gregorii I § ult.). Secretarii vetustioris situm in quadriporticus latere basilicae propiore vide in tabula ichnographica Tiberii Alphanani iterum edita a Sarto in Appendice ad cryptarum Vat. monumenta litt. dd. ee. *Versus igitur basilicae s. Petri* in hoc codice incipiunt *ab extrema porticu*, unde in interiorem aulam patebat aditus per argenteas fores, quarum carmina exhibentur n. 3, 4. Eodem porticus latere in vestibulo *ante secretarium* quinto, sexto et sequentibus saeculis pontifices humari consueverunt. Sane in hoc codice statim sequitur epitaphium Agathonis *papatis* n. 2. Pontificum, qui in ea porticu sepulti erant, multa elogia peculiari libello collecta sunt saeculo septimo

(v. syllogem XI). Cur unum et alterum tantum in hunc codicem relata sint, ceteris omissis, nescimus.

Metricum elogium Gregorii Magni sepulcro inscriptum Beda a. fere 731 Historiae ecclesiasticae Anglorum inseruit lib. II cap. 1. Romam ille numquam venit: ex hoc vel simili libello Gregorii epitaphium ei innotuisse verisimile iudico. Beda omisit notas temporis carmini subiectas; quas ad hanc diem omnes exceperant e Petri Mallii Descriptione basilicae Vaticanae (de qua infra n. XIX). Verum cum Mallius scripsisset: *hic requiescit GG · I · PP* etc., tota temporis notatio visa est aetatis sequioris additamentum. Huius nunc codicis apographo discimus notam I post Gregorii nomen a Petro Mallio insertam ab antiquioribus in lapide visam haud esse. Error nescio cuius anonymi in libello cui titulus "Successores s. Barnabae apostoli in ecclesia Mediolanensi", qui elogium scriptum affirmat a Petro Oldradio iussu Hadriani I pontificis (a. 784-805) uno Bedae testimonio satis refellitur.

Emendanda praeter orthographica v. 5 *pontificis* — 11 *Anglos* — 14 *offerres* — 15 *factus*.

2. Lemma supplendum: *item (de) Agathone papate*. Vetus vocabulum *papas* syllogae antiquitatem confirmat. Agatho decessit a. 682: sepulcri eius epitaphium perit, carmen omissis temporum notis iterum et tertio in his

his meritis antestes sūmis agatho.

Sedis apostolice federa firma tenet

En pietas en prisca fides insignia patrū

10 Intemerata manet msibꝫ almicus

Quis vero dignū erit morū documta tuoꝫ

formola virtutū dū tua vita foret

2 Item in ostia maioris sancti petri

Lux archana dei verbū sapientia lucis. atqꝫ

L_ocorruscantis spendita imago patris. Plenus

homo i nris ꝫ verꝫ nascitur isdem virginis

ex utero totus ubiqꝫ deus. Discipulis ꝫcepta de-

5 dit petruꝫꝫ beatū hos t' primū sanesit egregiū

Cuius in arbario celū terrāꝫꝫ reliquit pandere

vī potius claudere cūꝫꝫ vellit. Nā sub morti

gine quidā iacuere gehenne verberē confossi

mēte fide opere. Nystria testatꝫꝫ possessa hostilibꝫꝫ

10 annis septies ꝫ decies scismate pestifero. Esset

ut impletū ieremie voce cantatis ultro cap-

tivis tam numerosa fuit. Sed bonus pontifex

dux plebis honorius armis reddit ecclesiis me-

bra revulsit. Piis doctrinis monitisqꝫꝫ suis de

15 faucibꝫꝫ hostis austullit. Exactis iā peritura

modis at tuus argento ꝫsul ꝫstruxit opimo.

Ornavit fores petri beati tibi tu modo colorū

qua ꝫꝫter ianitor almet. fac tranquilla tui tem- 1. 138

pora cūcta gregis.

4. Item in alio ostio.

Lumine sed magno vibrare ianua cerno

L_oAstriferūꝫꝫ polū indicat ipē nitor. Terreos

ꝫ vultꝫꝫ servantū limina sacra geminis.

In portis ora iocunda nitent. Simonis aspectꝫꝫ

5 fulgens ꝫcluditꝫꝫ una altera sed pauli radiat or-

be docens. Aditus interior gazarū estuat opes

ꝫ depicta nitent cumulis ipsa suis. Aureis mpe-

tallis gēmaꝫꝫ clauditor ordo ꝫ supba teget blat-

tea palla fanū. Si quoꝫꝫ iunctim servatꝫꝫ gloria

10 rebus. ꝫ variata simul nexa natura manet

Inclita tū ope surrexit fama ꝫennis. Indubi-

tanti fide reddite cūcti vota.

5. In dextro atrio.

I_ongrederis quisꝫꝫ radiantis limina templi In

I_o varia operū species dū lumina tendis. Includo

sylogis redibit (vide XI, 11). Quibus collatis emendanda sunt v. 2 tonitrus — 3 quae (monet) hoc etc. — 5 aequip(a)rat — Quis 7 summus — 10 manent nisibus alma — 11 vero dinumeret.

3, 4. De porta maiori basilicae Vaticanae Liber pontificalis in vita Honorii I (a. 626-38) § II: "hic investivit regias maiores in ingressu ecclesiae, quam vocant medianam, ex argento, quae pensant lib. DCCCCLXXV". Item liber in vita Sergii I § XI (a. 687-701) memorat regias argenteas maiores basilicae s. Petri. Denique in vita Leonis IV § LXXXIV: "portas, quas dextruxerat Saracena progenies argentoque nudarat, erexit multisque argenteis tabulis lucifluis salutiferisque historiis sculptis decoravit et in meliorem speciem, quam pridem fuerant, reparavit". Haec igitur carmina, quae foribus argenteis ab Honorio I inscripta sunt, perierunt Saracenorum direptione a. 845. Multo ante id tempus ea descripsit primus auctor huius syllogae; unde illa transierunt in Centulensem (VII) n. 1, 2, e septimi saeculi codicibus compilatam. Apographum codicis Palatini 591 valde corruptum est et imperfectum: meliora et pleniora dabunt praeter Centulensem (l. c.) syllogae Sangallensis (X) n. 2 et Laureshamensis prima (XIII) n. 4. 5. Centulensis carmen 3 ponit in basilica beati Petri in foribus argenteis, 4 item in al(her)a regia: Sangallensis (X) utrumque coniunctum in

bortis (portis) s. Petri ad corbus, id est basilicae in qua corpus s. Petri: Laureshamensis (XIII) 4 in porta (ecclesiae s. Petri) dextera, 3 in sinistra. Vocabula ostia, portas, fores argenteas, alteram regiam his locis haud intelligenda esse de duabus portis ad medianae latera proxime sitis, sed de ipsius medianae valvis argenteis verba libri pontificalis cum his codicibus collata et portarum in utroque carmine descriptio luculenter declarant. Unica maior et regia basilicae Vaticanae porta mediana his carminibus ornata erat: eam blattea palla (velum) tegebat: eiusque valvas argenteas sinistram Petri, dexteram Pauli imagine insignes aureis et gemmatis petalis (laminis) conclusas apostolorum principi obtulit Honorius, vota solvens pro reditu ecclesiarum Histriae ad unitatem et communionem cum sede apostolica (a. 628). Vera carminis lectio et plenus singularum partium sensus ex aliis syllogis supra citatis, quarum minus corrupta neque manca scriptura est, eruentur.

Emendanda praeter orthographica in carmine 3: v. 2 splendida — 5 hos inter, et egregium — 6 in arbitrio — 11 canentis ultio — 12 bonus antistes — 13 almus reddidit — 14 revulsa piis — 17 ornavitque, petre beate — 18 alme. In carmine 4 v. 2 Terreor — 7, 8 in petalis — 9, 10 Sic quoque coniunctim — 11, 12 cum opere, indubitante.

5, 6. Ab atrii parte nobiliore, quae aulae adhaerebat, primo ad dextrum, deinde ad sinistrum atrium, id est ad

mirare diem fulgore penni. Cuncta micant
 si lux tota lumina^t inaula. Ornavit presul
 5 venerandas symmachus edes. Priscaq^{ue} cesser'
 magno vitatis honore.

6. *In sinistro atrio*
 Quamvis clara fides multū det luminis aule
 Plusque luci meritis nobilitet^r opus. Est tamē
 his pulchris especialis gratia rebus. Expectatū

que oculos ars peiosa radiat. Johannis hoc comis
 5 opus que rite coronat urbis romane pontifical
 apex.

7. *In arca sup^{er} corpus sc̄ti petri & inl exp^{er}.*
F. ūr & beneficiis domini apostoli
 R^{ufinus}. viventius gallus votum sol-
 vit.

quadriporticus latera, syllogae auctor oculos convertit; et epigrammata excipit scripta in utriusque porticus limine extremo et propiore ad basilicam aditu. Dextra et sinistra heic intelligenda sunt respectu ad basilicae aedificium et ichnographiam, non ad spectatorem. Sane porticus spectatori sive ingredienti sinistra vocata est s. Andreae (vide *Roma sott.* I p. 140), ob eius nominis aedem a Symmacho extractam et cum basilicae scalis et atrio ea parte coniunctam; carmen vero 5, quod ad Symmachiana opera pertinet, in *dextro atrio* huius syllogae auctor collocat.

5. Symmachi carmen hic codex solus servavit: unde infelici coniectura in v. ultimo mutatum ed. A. Mai, Spicil. Rom. VIII p. 70. Em. v. 2 *varias, inclusum* — 6 syllaba *no* bis in eundem locum concurrens semel omissa est; supplendum (*no*)*vitatis*, Mai *virtutis*. De atrio, de scalis et aditu ad basilicam latere dextro (quod erat ingredientibus laevum) et de aede s. Andreae eodem latere a Symmacho conditis vel exornatis Liber pontificalis, Petrus Mallius (XIX) aliique multa memoriae tradiderunt; de quibus in historico ad hoc carmen commentario erit dicendum. Interim consule Fr. Cancellieri, De secret. basilicae Vat. p. 1068 et seqq., 1158 et seqq., 1202.

6. Hoc carmen auctor syllogae Lareshamensis primae (XIII) n. 1 collocat *in paradiso beati Petri*; id est in quadriporticu ante basilicam: codex Palat. 591 docet illud inscriptum fuisse *atrio sinistro*, lateri nempe quadriporticus ingredientibus dextro. Quinam e pontificibus Joannis cognomine appellatis atrium Vaticanae basilicae *compserit*, neque liber pontificalis neque alia historiae documenta tradunt. Veri simile est opera a Symmacho incepta, eius morte a. 514 vel neglecta vel remissa, ab altero eius successore Ioanne I a. 523 perfecta esse: ita ut tituli 5, 6 extrema trium atrii laterum capita occuparint: et alter inchoato, alter completo opere positi sint.

Emendanda v. 2 *loci* — 3 *specialis, spectantumque* — 4 *rapit, compsit* — 5 *quem*.

7-10. Manifestum est in titulis 7 et 10 inscriptionum fragmenta cum loci indicatione esse permixta. Lacerae fortasse chartae frustis male ordinatis, series 7-10 perturbata est et pessime descripta. Ea accurate expendenda est et

restituenda; quippe quae multi pretii monumenta indiet nullo alio e codice nota.

Auctor syllogae basilicam ingressus statim currit *ad corpus* Petri apostoli. Inscriptionem 7 positam esse scribitur *in arca super corpus sancti Petri*; reliquae praefixi lemmatis notae et vocabula sunt discernenda; pertinent enim ad titulum votivum (*virī clarissimi*) et *inlustris ex praefecto Urbi pro beneficiis domini apostoli*. Jam supra (p. 20) vidimus epigramma Constantini Augusti situm *in arca s. Petri* aliquot codices saeculi XV ex vetere quaternione Poggiano pendentes ponere *in arca* (alii emendarunt *in ara*) *s. Petri*. Codex Sangallensis 271 (X, 1) eidem epigrammati lemma praescribit: *versus de ecclesiae sancti Petri ad corpus* (corpus). His collatis verba praefixa inscriptioni n. 7 emendanda suspicor *in arca*, et subiungendum epigramma *Quod duce te* etc.; quemadmodum in sylloge Einsidlensi (II) n. 6. Sane carmina quae sequuntur 8, 9 eodem ordine in Einsidlensi codice leguntur n. 10, 11: et Einsidlensis quoque codicis perturbata series restituenda videtur coniunctis carminibus 6, 10, 11. Neque ideo votivum titulum Palatini codicis 7 positum a Rufino Viventio Gallo *super corpus s. Petri* expungam vel loco movebo. Imo utraque adnotatio *in arca* et *in arca* recipienda facile est: illa praefixa epigrammati Constantini, haec titulo Viventii Galli. Quorum altero suppresso, modo haec modo illa in codicibus inconsiderate retenta. Nobilis viri nomina absque ulla honoris appellatione relata monent eam lacunam esse supplendam verbis, quae luxata sunt et praefixo lemmati perperam appicta. Quare insignis tituli in integrum restitutio erit huius modi:

RVFIVS · VIVENTIVS · GALLVS
 (V · C ·) ET INL EXPFF VR(B)
 PRO BENEFICIIS DOMINI APOSTOLI
 VOTVM SOLVIT

Rufinus, non *Rufinus* esse scribendum, quae infra dicam suadent: eius votivo opere altare, quod sub arca maiore erat, vel ipsum apostoli sepulcrum (*arca*) ornatum est: ceterum historicum tituli commentarium addere non huius loci est. Post inscriptiones sive *arcus*, sive *arcae*, sive utriusque

8. *In circuitu sti petri*

Iustitiae fides fidei domus aula pudoris
 Haec est quae cernis pietas quae possidet omnis
 Que patris et filij virtutibus inclita gaudet f. 189
 Auctoremque suum genitoris laudibus asonat.

9. *In gradu sti petri ubi legunt*

Scande cantantes domino dominumque legentes ex alto
 Ex alto populis verba superna sonent

10. *In fronte foras in ecclesia seti petri ubi iiii animalia circa xpm sunt picta. Expf et cons.*

Marinianus vir illustris ordinis cum apostasia (em. anastasia)
 Debita vota beatissimo petro apostolo in fine
 persolvit. Que precibus pape leonis in ei vocata

sunt atque perfecta.

11. *In fronte supra portico ipsius sancti petri*

Credite victuras animas
 Mas remeante favillas. rursus ad amissum posse
 redire diem. Nam vacabis qui anus iam
 luna resumpserat orbis. Nutabat dubia cum
 michi morte salus. Irrita letifero auxit me-
 dicina doloris Crevit humana ab arte meus.

12. Qui regni claves et cura tradidit ovilis. Qui
 celi terraque petro commisit avenas ut reseret clau-
 sis ut solvat vincla ligatis. Simplicio nunc
 ipse dedit sacra dura teneri. Presole quo cultus
 venerande cresceret aula

super corpus s. Petri, auctor excepit epigramma n. 8 in circuitu (absidis) musivo opere-inscriptum, de quo supra p. 21 et 47. Tota sic ad extremum caput basilica peragrata, regressus ad pulpitem, unde sacrae lectiones fiebant, unius tantum lateris epigramma descripsit n. 9. *Ambonis s. Petri* utramque partem exhibet codex Einsidlensis (II, 11, 11*). Denique huius syllogae auctor aula et porticum egressus basilicae frontem coepit contemplari (n. 10). *In fronte foras* vidit quatuor animalia circa Christum, musivo certe opere, picta. Ea, anno circiter 1230, Gregorius IX renovavit: cuius ad Christi pedes provoluta effigies servata est, quum reliquum musivum opus et tota basilicae frons diruerentur iussu Pauli V pont. max. (v. Torrigio, *Grotte Vat.* p. 155). Id ipsum musivum ex parte dirutum (a. 687-701) Sergius I innovaverat (Lib. pont. in Sergio I § XI). Anonymi in codice Palatino adnotatione intelligimus neque Gregorium IX neque Sergium I veteres imagines mutasse; et quis earum primus auctor fuerit docet inscriptio n. 10. In qua, quemadmodum in superiore n. 7, verba luterata et praefixo lemmati male cohaerentia propriis locis sunt restituenda.

MARINIANVS VIR INL. EX PF praet. ET CONS. ORD.
 CVM ANASTASIA INL. FEM. eius. DEBITA VOTA
 BEATISSIMO PETRO APOSTOLO PERSOLVIT
 QVAE PRECIBVS PPAE LEONIS MEI
 PROVOCATA SVNT ATQ. PERFECTA.

Liber pontificalis de Leone I, narrat: hic renovavit basilicam beati Petri. Ei Marinianum cum coniuge Anastasia opem tulisse hoc titulo discimus. Marinianus consul fuit a. 423: anno 448, quo filius eius Rufius Praetextatus Postumianus fasces suscepit, et Leo apostolicam sedem regerat, etiam tum in vivis erat (C. I. L. VI, 1761). Gallus Anastasiae natus, matris merita aemulatus, decus addidit aulae fontis basilicae Vaticanae (v. XIII, 14). Quis hic

Gallus fuerit; cur a Rufio Vientio Gallo iuniore, de quo titulus n. 7, sit discernendus; cur Anastasia eius mater a iuniore Anastasia Mariniani coniuge discernenda item sit; in commentariis historicis suis locis declarabo. Mariniani et Anastasiae titulus aetate Sergii I (a. 687-701), qua musivum dirutum ex parte erat, iam fortasse perierat: saeculo certe ineunte IX in sylloge Lareshamensi prima (XIII), quae titulos frontis et atrii basilicae Vaticanae accurate exhibet, desideratur. Gregorius IX (a. 1230) novum epigramma in ea fronte inscribi iussit; tum veteris tituli, si quae supererant, vestigia sunt abolita.

7 et 10. Mai, *Script. vet.* VIII p. 70 arbitrato suo, neque de codicis scriptura monito lectore, refinxit.

8, 9. Em. 8 v. 1 *Iustitiae sedes* — 4 *laudibus aequat* — 9 v. 1 *scandite*.

11. Carmen integrum (nam haec ultimum distichon deest) vide in syllogis Centulensi (VII) n. 7 et Lareshamensi prima (XIII) n. 2. Illud statim notandum in anthologia codicum Valentiniani (Valenciennes) 393 f. 88 et Montispessulani (*bibl. de l'école de Médecine*) 280 f. 34 huic epigrammati adscriptum: *in imagine Constantini imperatoris*. Quare in fronte porticus basilicae Vaticanae Constantini imago depicta erat, subiecto carmine pro ea aetate elegantissimo de eius letali morbo, quem Petri ope depulsum testabantur ultimi versus in hoc codice omissi. Em. v. 1 *anima* — 3 *vaga bis quinos* — 4 *orbis* — 5 *letiferos* — 6 *dolores, morbus ab arte meus*.

12. Hoc carmen statim post praecedens n. 11 redit in sylloge Centulensi (VII) n. 8, item in Lareshamensi prima (XIII) n. 3, in qua eius locus praescribitur: *super limine in introitu ecclesiae* (s. Petri). Appictum ergo erat prothyro porticus basilicae Vaticanae, ideoque cum praecedenti in codice Pal. 591 coniunctum est. Em. v. 1 *curam tradit* — 2 *terraeque* — 4 *iura tenere, Praesule,* — 5 *aulae*.

APPENDIX INSCRIPTIONVM BASILICAE VATICANAE

E CODICE PARIS. 8071.

13. **P**ost aviae lacrimas miserata potentia *f. 61 col. 2*
 xpi reddidit alma fides. hoc tibi callio
 pe psolvit apostole domum cu re dat iⁿ lucem
 tenere levante nepos nomine avum ref
 5 ferens xp̄o qui credidit infans ad vitā
 14. remeans vivere his meruit cingebant
 latices montem teneroq; meatu corpora
 multorum cineres atq; ossa rigebant
 Non tulit hoc Dammassus comūni lege se
 5 pultos. propt̄ requiem tristes iterum
 psolvere paenas tinus adgressus ma
 num superare laborem aggeris inmen
 si deiecit culmina mentis. Intima sollicit
 scrutatus viscera terre siccavit totum

10 quicquid male facerat humor invenit
 fontem preb& qui dona salutis. hec cu
 15. ravit mercurius levita fidelis terruit
 angelicas acie concessa potestas. tanta
 p&ro reserare polos & parcere caulam
 epeptam de fauce lupi sibim&que dicatā
 16. Suscipe xp̄e potens acomluthi utta georgii

17,17a. **S**ergius antentis qui in arce locavit. qui regni
 clave & curam tradet ovilis qui celo terreq;
 p&ro commissa havenas ut reser& clausis
 ut solvat vincula ligatis. Simplicio
 5 nunc ipse dedit sacra iure tenere. Presule quo *f. 61 col. 2*
 cultus venerande crescer& aule.

13. Hunc titulum Petro apostolo votivum esse et in eius basilica positum; epigrammatis argumentum et manipulus carminum, cuius initium ille est, declarant. Primi versus desiderantur, quibus nobilis pueri, *nomine avum referentis*, letalem morbum Calliope avia narrabat; quae supersunt hoc fere modo supplenda sunt et emendanda:

Post, aviae lacrimas miserata potentia Christi,
 (Et vitam puero) reddidit alma fides.
 Hoc tibi Calliope persolvit apostole do(n)um
 Cu(m) red(i)t in lucem te relevante nepos.
 Nomine avum referens Christo qui credidit infans
 Ad vitam, remeans vivere (b)is meruit.

14. *Cingebant latices montem* etc. notissimum est carmen Damasi de fontibus Vaticanis, cuius nullum exemplum notum erat in codicibus scriptis ante medium saeculum XV, quo tempore integer lapis in lucem rediit e clivo pone basilicam: nunc servatur in cryptis Vaticanis (Dionysi, Crypt. Vat. monum. p. 61 tab. XXVII). — Em. v. 3 *rigabant* — 4 *Damasus* — 5 *post requiem* — 6 *poenas protinus* — 6, 7, *magnum* — 8 *montis, sollicite* — 10 *ma-defecerat*.

15. Carmen nullo alio codice notum musivis facile literis inscriptum picturae, qua effectus erat Christus claves regni caelorum et totius ovilis curam Petro committens. Tertii versus initium cum ultimi fine amanuensis coniunxit: tetrastichon sic fere restituendum conicio:

Terruit angelicas acie(s) concessa potestas
 Tanta Petro reserare polos et pa(s)cere caulam
 E(r)eptam de fauce lupi, (nos protegat ille
 Atque aulam hanc servet sanctam) sibimetque dicatam.

Cf. epigramma n. 20, fortasse eidem vel similis argumenti picturae subiectum.

16. Item titulus hoc solo codice notus. Scribe:

Suscipe Christe potens acoluthi vota Georgi.

17. 17a. Extremo versu incipit epigramma *Qui regni claves* etc., quod erat *in fronte* porticus basilicae Vaticanae (vide supra n. 12). Praeit fragmentum alterius epigrammatis, cuius initium emendandum est: *Sergius antistes*. Ad primum eius nominis pontificem videtur pertinere, qui a. 688 sepulcrum Leonis I in extrema porticu delitescens ad eminentiorem locum transtulit, inscripto epigrammate, cuius octavum distichon hoc est (vide infra XII n. 29):

Sergius antistes divino impulsus amore
 Hunc *in fronte* sacrae transtulit inde domus.

Idem epigramma Leonem praedicat *dignum tumulto in arce Petri*. Simili stilo scriptum et eodem fere loco, in porticu et *fronte* basilicae Vaticanae, positum erat carmen, cuius initium mutilum in hoc codice superest: *Sergius antistes (tumulum?) qui in arce locavit*. — In 17 a. em. v. 2 *claves, tradit, caeli* — 3 *commisit* — 4 *vincla* — 5 *iuru*.

[Post sex epigrammata ad alias Urbis basilicas pertinentia, continua semper scriptura, redit series inscriptionum basilicae Vaticanae].

cer f. 61' col. 1

ta fides iustis cęlestia regna patere
antestes felix q̄ q̄ med culeſtus hab&t. lat'
multis humli /////te ſup̄bis ꝑ me celsum
5 simplicitate locum paucib; largus miseris solatia ps f. 61' c. 2
tant apostolice crescere fecit opes ad amissum
posse redire diem. Qui nos jam luna resumpserat
abes. Dubia cum mihi portę salus la&iferos
auxit medicina dolosa & humana moribus ab
arte meus
18c. 18c. Aecclesia sc̄i petri hab&t in longitudinē pedes
cccxo in latitudinē vero pedes ccxxvi ex
cepto illo t'rono Qu///// cl/////ra fides multū d&
luminis aul///// loc/////tur///// as
Est tñ his pulchris specialis gratia rebus /////
tūq; /////s///// pt/////s///// rapit Joh/////

5 opus ///// ri///// bis ///// po/////

18d. lis apex. Ing/////eri/////

mina templi i///// ōperum s/////

mina tendit inclt /////re dien/////

Cuncta /////tota lo/////

5 ornavit p̄sul /////das semina/////

pisaq; ceser mag/////

19. ad a&num festinat tendere vita/////

quirat qua lic&t ire piis tam itequo fretus celes
tia regna sacerdos Intravit meritıs ante p/////

suis. Minus te magis vivens commercia grata

5 pegit perdidit ut possit semp habere dum /////

antistes dñi procumbis victima xp̄i pontifi
ci summo sic plantare dō.

20. Qui aecclesiam petri sacraſti nomine cuiq; ag
nus mandasti pascere xp̄e tuos Ćiusdem p̄

cibus conserva hęc atria semper p̄sidio ut ma
neant inviolata tuo.

18. Epitaphium Felicis IV († a. 530), quod inter *epi-
graphia apostolicorum in ecclesia beati Petri* (in porticu pon-
tificum) descripsit auctor syllogae XI n. 3. — V. 3, 4 em.

*Antistes felix quae modo laetus habet, Praelatus multis
humili pietate superbis, Promeruit*: codex Palat. Vat. 833
superbus, in corruptissimo codice Parisino recte *superbis*.
— 5, 6 em. *pauperibus, praestans sedis apostolicae.*

18a. Carmen 18 desinit in *opes*. Verba *ad amissum*
et quae sequuntur pertinent ad carmen n. 11, quod erat
in fronte porticus basilicae Vaticanae sub imagine Con-
stantini; eodem fere loco, quo epigramma Simplicii n. 17 a.
Fragmenta 18a e mutilo codice foede corrupta aliis quae
supersunt antiquis exemplaribus nullo negotio in integrum
restituuntur: cf. interim supra n. 11.

18c. Mensurae basilicae Vaticanae carminibus hoc loco
insertae indicant veterem syllogen, cuius e laceris paginis
et fragmentis Parisinus cento male consutus est, tum epi-
grammata tum aliquam monumentorum et aedium sacra-
rum descriptionem exhibuisse. Hae dimensiones a vero vix
ac ne vix quidem aberrant. Vetus enim aula basilicae in
Tiberii Alpharani ichnographia a portis ad extremam ab-
sidem quatuor centum fere pedes Romanos longa depre-
henditur. Verba *excepto illo throno* ad longitudinem po-
tius quam ad latitudinem referenda decem pedum differen-
tiam declarant. Latitudo interioris aulae ducentos et duo-
decim fere pedes aequabat: verum ea dimensa videtur in

porticu vel fronte, quae ad ducentos viginti sex pedes per-
tingit.

18c, d. Collatis n. 6, 5 illa carmina atrii basilicae Vati-
canae his litteris delecticiis subesse manifestum est. In 18d
v. 4 *lo(minatur)* pro *luminatur* — 5 *semma(chus)* pro
Symmachus.

19. Epigramma, hoc uno imperfecto exemplari traditum,
sic fere restituendum:

(quisquis) ad aetern(a)m festinat tendere vita(m)
(ille viam ex)quirat qua licet ire piis
t(ra)mite quo fretus celestia regna sacerdos
intravit meritıs ante pa(rata) suis
... magis vivens commercia grata peregit
perdidit ut poss(e)t semper habere d(e)um
antistes domini procumbis victima Christi
pontific(es) summo sic pla(cue)re deo.

Est epitaphium pontificis in porticu Vaticanae basilicae
sepulti: nam totus ad illam porticum et ad atrium hic epi-
grammatum manipulus pertinet. Cogitandum de Joanne I
(a. 528); is e pontificibus post Leonem I in Vaticano se-
pultus unus est, cui conveniat elogium: *procumbis victima
Christi*, vitam (vel gratiam principis) *perdidit ut posset
semper habere deum*.

20. Item epigramma ab hoc solo codice traditum ad
frontem et atrium Vaticanae basilicae pertinens: v. 1, 2
em. *agnos*.